x·VIII 4
17
54610
9
5

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MENSTRUORUM SUPPRESSIONE,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. GODEFRIDI BIDLOO, Med. Doct. Anat. & Colleg. Pract. in Acad. Lugd. Bat. Profess. Ordin. ut & Colleg. Chir. ejusd. Civit. Præsidis,

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in Medicina Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

NICOLAUS BIDLOO, AMSTELO-BATAV.

Publico examini subjicit,

Ad diem 17. Januarii, loco horâque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCVII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



Patri Venerando

LAMBERTO BIDLOO,

Collegii Medici Amſteloda-
menſis Membro,

Patruo Reverendo

GODEFRIDO BIDLOO,

Academiæ Lugduno-Batavæ
H. T. Rectori Magnifico;

ET

PETRO BERNAGIE,

Medicinæ Professori in Athenæo Amstelodamensi dignissimo,

Has Theses Inaugurales, in debiti Amoris, Reverentiæ & Observantiæ tesseram,

D. D.

NICOLAUS BIDLOO,

Auctor.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
MENSTRUORUM SUPPRESSIONE.

nter Morbos, fœmineum, ultra virilem, affligentes sexum, meritò *Menstruorum* recensetur *suppressio*, quæ, ut fræquens, plurimorum ita gravissimorum causa est & scaturigo symptomatum.

THESIS I.



ic affectus Hippocrati dicitur Ἀῤῥοίη, ut *non fluxus:* α enim Græcis vocabulo præfixum, idem quod Latinis *in*, ſc. privativum. plura addere Græcanica ſynonyma per gramaticam exponenda analyſin, ſuperſedeo. Vox hæc in genere omnibus intra & extra corpus humanum competeret impeditis fluxibus, Medicis vero, ſpeciatim & per excellentiam, *Menſtruorum* muliebrium indigitat *Defectum*. Quem Fluxum aliis etiam inſigniri videmus nominibus; dicuntur enim Lunares purgationes, Flores virginei &c. quorum etymologiam & epithetorum convenientiam hic explicare non lubet, ut quod in plurimis ipſam Definitionem vel cauſas involveret.

II.

Eſt igitur *Suppreſſio Menſtruorum* Ceſſatio, ſeu Abolitio fluxus ſanguinei, per Uteri vaginam maturæ, non gravidæ, nec lactantis, aut effætæ, erumpentis; Menſtruis periodis, h. e. lunaribus quatuor circiter hebdomadarum menſibus, qui eo nomine à Noſtratibus, recte *Maand-* ſeu potius *Maan-ſtonden* appellatur.

III.

Hujus autem Ceſſantis *menſtrui fluxus*, antequam ad ſigna & cauſas me accingam, Uteri ipſius Anatomen deſcribere, & quædam de ſano perfectoque ejus ſtatu prælibare, neceſſarium duxi ſummopere: luculentius quoad *retentionis* pateant cauſæ.

IV. U-

I V.

Uteri ſtructuram quod attinet, hanc ſtrictè modo, & ad meum ſufficientem ſcopum, deſignabo, perfecta enim, aut, pro variis Auctoribus, varia deſcriptio, *Diſputationis* terminos ad volumen extenderet. Uterus itaque in fœmineo ſitus imo ventre, pelvim occupat fœtu concepto commodum conplicandi, eoque excluſo, corrugandi relinquens ſpatium. Duplici gaudet Tunica, omniſque generis Vaſis:

V.

Arterias & Venas, ſeſe invicem concomitantes, à Spermatico & hypogaſtrico ſortitur Ramo. Notandum hæc vaſa ſerpentino ductu per Uterum diſpergi; geſtationis tempore, quantum unà cum illo extenſa, à ruptionis periculo immunia. Nervos ab Oſſis Sacri paribus, & Cerebri ſexta obtinet Conjugatione; unde ille luculentiſſimus Cerebrum inter & Uterum exploratus conſenſus.

V I.

Succinctiore hac Uteri expeditâ Anatome, ad Phyſicas *Menſtruæ Evacuationis* cauſas me confero; quæ Antiquis fermè omnibus, Recentioribuſque non paucis Lunæ Influxus, ſeu liquida movendi, ſtatuitur virtus; triviale juxta illud; *Luna vetus vetores, juvenes nova luna repurgat*. Commentum (qua auctoritate neſcio) ab Maris in flumina æſtu, novi-& plenilunio, impulſo, ut Apodicticum quamplurimis, nobis vix inter Problematica.

V I I.

Alii *Menſtruorum* cauſam fermento cuidam tribuendo, egregium aliquod præſtitiſſe facinus, novum-

vumque lumen densissimis in tenebris accendisse putant; ât interiore hàc examinata & perpensa scrutinio, pro rebus verba dant. Unde enim, ubi, quando, qua particularum Segregatione & Colluctatione, quo in alveo, qua Vasorum tum temporis, præ alio, dispositione illa suscitatur fermentatio, â nemine quod sciam, hactenus demonstrative probatum.

VIII.

Adéo ut deridendo Antiquorum Occultas Qualitates, ad magis absconditos nos remittant conceptuum abyssos: Urgeat aliquis, num ergo Occultas admittam Qualitates? Resp. mille millena mihi non innotescere, atque adeo, hoc nomine, occulta esse; illo tamen titulo rem quandam doceri posse, renuo.

IX.

Nos autem hac de re quid sentimus, paucis habe. Primitivam Menstruorum motus causam Divinæ tribuimus Providentiæ, naturæ inscriptæ legibus, ad generis humani conservationem. Sed heus! clamitabit quispiam, ignorantiæ testimonium: confiteor candidè, omniscientiam Dei, ad Universi singulariumque Creaturarum sustentationis causas, me nescire;

X.

Subordinatas vero ab effectis derivare & ad probabiles colligere posse Evidentias, multum mihi: quantum præsumant, quicquid supponant alii, se ad rerum primordia, per analysin Formarum & Figurarum penetrasse Mechanicamque inde corporis humani œconomiam, ut Automa, demonstrare posse.

X I.

XI.

Speciosum modo illud, *subjecti dispositionem*, admittamus, quæ tamen Antiquorum præter Vim, Virtutem, vel Facultatem operantem seu motricem, nil explicant magis perceptibile; Heroicam Fabulam (Roman) pro veris naturæ substituere conantes miraculis. Hanc in Scenam, ut Deus è machina, quondam prosiliit Archeus, spiritus insitus, impulsivus, Magneticis, attractivis, cœlestibus impregnatus virtutibus: qui, & Vicenuminis instar, totum gubernat & dirigit Universum, per quem omnium Uteri morborum satagunt explicare Causas.

XII.

Frustra profecto ad Occultam Philosophiam (nullibi existens Phantasma) Fermentum, Particularum Figuras, Sulphur, Alkali & Acidum refugere, quum simplici & clarissima demonstratione, nullis Medicinæ aut Anatomes imbuto rudimentis, conspicere detur. Magis itaque vicina *Menstruæ Evacuationis* causa est, repletio Vasorum sanguiferorum per Uteri corpus dispersorum, quæ, pedetentim ab affluente extensa sanguine, negatoque naturaliter retrocessu, eorum extremitates, in Utero ejusque Collo desinentes, reddit ampliores, donec, impulsu magis magisque turgidæ, tandem per oscula molestum deponunt onus, ut Venerandus Patruus meus experimento ostendit irrefragabili.

XIII.

Quâ peracta Evacuatione, hæc Vasorum Oscula, defectu affluentis sanguinis collabentia, subsident, ut in Tubis Fallopianis, officio non fungentibus, conspicitur.

X I V.

De Usu *Menstrui* sanguinis ad Fætum distinati, ille, an sit nutrititius, vel solummodo pro fomento, aut humectatione inserviat, sive alio quopiam modo distribuatur, nostræ *Disputationi*, nec huic dicatum tempori;

X V.

Unicum tamen hoc placuit superaddere, *Menstrua* muliebria in sanis non esse Contagiosa, multo minus, ut multorum fuit opinio, adeo venenosa, ut Solis, vel Lunæ Eclypseos, aut Conjunctionis tempore, si menstruatæ se vir commisceat, inde pestem oriri: imo quibuscunque *Menstruis* tantum adeoque lethale inesse virus, ut inde flores, segetes, vites quin etiam arefiant, Apes alviariis effugiant, & (proh Deum atque hominum fidem!) cantharides, scarabæi, omniaque insecta ad menstruatæ præsentiam, ut fulmine tacta, enecentur, jumenta gravida ejus manu tacta abortiant, denique virgineos menses tam potens asserere ausi venenum, ut virulentum ejus contagium igne absumi nequeat.

X V I.

Ejusdem farinæ, seu furfuris potius, statuimus è *Menstruo* sanguine confecta Philtra, Amuleta siderum Characteribus insignita, & Pharmaca, adeo ut vix Panaceam, venenum, seu Præstigiatorium Magicumque potuerit somniare Theophrastus Paracelsus, quin muliebris hæc evacuatio omnibus sufficere videatur.

X V I I.

Simili ex fabularum nugarumque officina forte ad

nos

nos dimanavit muliercularum non ſolumodo, ſed & virorum alias haud imperitorum, tam ſeria admonitio, ne Menſtruatæ carnibus ſale condiendis interſint, quinimo (ſi Diis placet) ne oris halitu ſpecula fædis inficiant maculis, ut virulentiores Viperis, & Aſpidibus! Abſint procul hinc tam nefanda innocuo ſexui opprobria; & ſi horum quippiam in Capadocibus mulieribus, famoſiſve ſcortis Laide aut Elephantide alicui credere fas videtur, nos Noſtratibus de meliore luto fictis, benigniore Cælo & Aſtris afflatis, gratulemur.

XVIII.

Retenta autem plus æquo excreta *Menſtrua*, ob ſtagnationem in Pus redigi, corroſiva fieri, ſubjectoque cui inhærent, maxime nocere poſſe, affirmamus; peculiari vero & contagioſo tactu Animalia, Vegetabilia &c. inficere, negamus; niſi, ob concomitantem fortaſſe Veneream Luem fœdi, teterrimique toxici virus ſanguini, ſalivæ, ſudoribus, aut Lymphæ approximiantis communicetur.

XIX.

De Uteri ſtructura *Menſtruorumque* diſpoſitione hæc dicta ſunto; pergamus ad *Diſputationis* noſtræ ſcopum, *ſuppreſſionis* ſc. Signa, quæ, licet non unâ nec ſemper adſint, aliquæ tamen ſequentium frequenter hunc demonſtrant affectum.

XX.

Hipp. Aphor. 39. S. 5. Si mulier, quæ nec præ-

„gnans, nec puerpera eſt, lac habet, ei *Menſtrua* „defecerunt. Porro horrores cum calore, ardor circa lumbos, capitis dolor, faciei nunc rubor, nunc pallor, Palpitatio cordis, difficilis reſpiratio, oculorum tumeſcentia, ſpontanea laſſitudo, cutis decoloratio, ſeu Chloroſis, tumores in ilibus cum inflammatione &c.

XXI.

Hiſce tamen Signis omnimodo & ubicunque fidem habere, *Menſtruaque* reſtituere velle, minus cauti eſſet Medici: hæc quoniam, pro corporis habitu, ipſis ſæpe prægnantibus accidunt Symptomata.

XXII.

Quo ſub prætextu, furtivo concubitu compreſſas, de *Menſtruorum* morboſâ *ſuppreſſione* conquerentes, Medicis indies imponere, teſtimonio egere non exiſtimo.

XXIII.

Laudatiora tamen & probabiliora Signa gravidas ab non geſtantibus diſtinguentia, hæc habentur. Hippocr. Aphor. 6. S. 5. Si mulieri purgationes non pro„deant, neque horore, neque febre ſuperveniente, „cibique faſtidia ei accidant, prægnantem eſſe pu„tato.

XXIV.

Pleraque in gravidis Symptomata indies mittiora fiunt, contrarium *ſuppreſſione* laborantibus. Addi poſſet

possset Fœtus post tertium mensem ut plurimum motus, quod tamen signum, Embryonis ob imbecillitatem, non raro & matrem fefellit & Medicum: exploratum enim, ad quintum usque gestationis mensem, quasdam Prægnantes nullum Fœtus sensisse motum, qui idcirco, pro Molâ habitus, Diureticis aliisque menses promoventibus medicaminibus, per Abortum expulsi.

X X V.

Signa quapropter *Deficientium* ob Molâ *Menstruorum* distinctiva â veri Embryonis imprægnatione ab experientissimis Medicis vulgo hæc habentur: ventris subitanea magis intumescentia, eaque præ totum ambitum, quum in vivido fœtu vel circa Umbilicum alterutrumque elevetur latus. Onus majoris ponderis, tactuique facile cedens, Lactis veri in mammis defectus, motus quoque si aliqualis percipiatur, non ut â perfecto fœtu per vices, ob membrorum articulationes, impulsivus. Signa quinetiam Tumorum OEdematoforum & Abscessum dextre consideranda: illi quoniam *Menstruæ Evatuatinis* & Ventris intumescentiæ possunt esse Causæ. Mnlier igitur num gravida sit nec ne è Signis tumores ædematosos & abscessus concomitantibus patebit. Imprægnatæ aliis sunt hilariores, vividioris plerumque Coloris, os Uteri illis occlusum & durum, quod peritæ obstetricis exploratum digito, dolum illegiteme gravidarum & ad *Mensium Suppressionem* tollendam remedia flagitantum, sæpius detexit.

XXVI.

De *Menstruorum suppressionis* Prognisi exacte disserere, in tam vasto Symptomatum Causarumque Oceano, non crediderim expeti, nec exspectari: illa enim, pro *Retentionis* tempore, afflictarum statu, morborum incremento, medelæ successu &c. velle enumerare, nullis absolveretur numeris aut terminis: quis enim Morbus *Menstruorum* non antecedit vel sequitur *suppressionem*.

XXVII.

Quæ tamen hac de Prognosi Medicorum statuit Princeps, habe. Aphor. 33. S. 5. inquit Mulieri *menstruis deficientibus* sanguis e naribus profluens bonum est. Respicit Auctor hic præsertim ad morbos Plethoram sequentes. Idem, ejusdem Sectionis Aph. 17. *Memstruis* abundantibus morbi eveniunt: & subsistentibus ab Utero morbi.

XXVIII.

De Symptomatibus aliquid addere necessarium non videtur; hæc quoniam cum Signis ferme sunt eadem.

XXIX.

Proximo ordine recensendæ & explicandæ sese offerunt Causæ. Hæ sunt Externæ, vel Internæ. ad primam classem redigenda. Aër frigidus & nebulosus, quo Spirituum diminuitur requisitus motus.

XXX.

XXX.

Aëris quantum hic valeat temperies, inde clare perſpectum, quod juxta regionis ſitum tardius vel celerius prorumpunt *Menſtrua.* in Hiſpania, aliiſque ſub fervidiore Climate Plagis, virginibus, multo tenuioris ætatis, quam in noſtris Septentrionalibus, hi ſeſe produnt flores, Vegetabilium fere ad modum: Recte quocirca Hipp. lib. de Aër: loc. & Aq. Sciticis mulie„tibus lunares purgationes non contingere uti neceſſe eſt. Frigidum Sct. ob aërem ſub quo degunt.

XXXI.

Frigidorum quinetiam, terreſtriumque nimius uſus, quæ ſanguinem reddentia pituitoſum, libera ejus debitaque retardatur circulatio. addi & poteſt pedum, aliarumque corporis partium diuturnior in frigido mora, haud minus etiam ſubitanea frigori expoſitio, inſtantibus præſertim *Menſtruis.* Validi Sudores, Ptyaliſmi, balnea, immoderatus ſp. vini ac Aromatum uſus, ſanguinem deſiccando & inſpiſſando, capillaria quominus tranare Vaſa, impetuoſoque propulſu per Oſcula erumpere valet.

XXXII.

Immodica ſanguinis effuſio per vulnera, Veneſectiones &c. quod ſatis ex Hipp. Aphoriſm 50. ſect. 5. patet, quum inquit, „Mulieri ſi velis *Men-* „*ſtrua* ſiſtere, cucurbitulas quam maximas ad mam„mas appone: pertinent huc, hæmorrhagiâ ſtatis Periodis excreta *Menſtrua,* per os, nares, oculos, cutim,

po-

poplites, venas hœmorrhoidales; manus quinetiam e pollice fluxiſſe, in noſtræ familiæ inſerviente ſartrice vidimus. honeſtamque novimus matronam, cui per Papillas ſingulis Lunaribus periodis *Menſtrua* proſiliebant. Otium, ſomnus nimius, longa inedia, curæ, luctus & mæror diuturnus, ſubitaneus terror, lætitia, & quæcunque animi pathemata vehementiora: demum omnia, quæ ſanguinem abſumere, pituitoſumque reddere valent, *impediti Menſtrui fluxus* poſſunt eſſe Cauſæ Externæ.

XXXIII.

Internas quod ſpectat Cauſas, hæ ſunt multiplices, quarum primarias recenſuiſſe ſufficiet. Uteri & Vagiuæ mala conformatio. Ut ſi E. g. Vaſorum ſanguiferorum extremitates ad interiorem Uteri non pertingant ſuperficiem, vel pinguedine, adnata carne, callo, Scirro, cicatrice poſt Uteri exulcerationem, ut ex difficili partu tumore præternaturali, extremitates vaſculorum in Utero deſinentium claudente, ita ut ſanguis in, ſeu per Uterum propelli nequeat.

XXXIV.

Forte & *Menſtruorum fluxus* ab non perforata membrana hymenè, aut, ut aliis placet nympharum coalitu ſeu extenſione ſufflanimari poſſet.

XXXV.

Ex hiſce omnibus, ſeu Externis, ſeu Internis Cauſis aliquæ ſufficiunt juſtam ſanguinis Craſin motumque

que pervertere eamque vitiosum reddere: Sanguinem enim in *Menstruorum suppressione*. Qualitate, non Quantitate, peccare existimo. Plethoram puram, mensium fluxum inhibere, ratiocinationi haud videtur consentaneum: Plethoricis quoniam frequentiores esse hasce evacuationes, abunde constat; imo bis una Lunari excerni periodo, nil familiarius.

XXXVI.

Curationem quod attinet, illa, symptomatum pro ratione & pondere adhibenda: hanc enim speciatim ab uniuscujusque indicantibus hic loci recensere, medicaminumque præscribere velle formulas, immensæ, nec hujus *Disputationis* spatio convenientis, foret operæ.

XXXVII.

Universalis itaque & specialis *Memstruorum Suppressione* laborantibus opitulandi methodus è Praxi præstantissimorum Medicorum, ad experientias productâ, desumatur; symptomatum, causarum proximarum, vel remotarum natura ægrorumque statu, institutâ Curatione.

FINIS.

IN
NICOLAI BIDLOÏ
Lauream Doctoralem.

Carminibus claro genitus Patre, & arte medendi,
Ejusdem dudum artis amator,
Jure suo, metam attingens, ambitque petitque
Legitimos BIDLOÜS *honores.*
Phoebe fave, Medicina tuum nam, Phoebe, repertum est,
Et placido bonus adspice vultu,
Qui studio sese Medico, qui tempora vitae,
Et reliquos tibi consecrat annos.
Annuit, & Pindo laetum dedit omen ab alto,
Venturi non vanus, Apollo.

P. FRANCIUS.

Ornatissimo Juveni

NICOLAO BIDLOO,

Quum summos in Medicina honores adipisceretur.

Vivida Paeonii soboles BIDLOË *parentis*,
Paeoniisque recens artibus ipse decus;
Accipe promeritam virtutibus, accipe laurum,
Digna Machoniis praemia temporibus.
Haec est illa tuis promissa laboribus olim,
Illa Dei primus virgo medentis amor.
Quae mutata semel, rursum mutetur oportet,
Inque tuis fiat querna corona comis.

JANUS BROUKHUSIUS.